

dicaret, inventus est quidam aulicus parasitus, qui & ipse in Regis gratiam claudicavit. Aristippus Dionysii Siculi adulator erat, qui quaque versum ventris saginandi causâ sequebatur regem. Quum in Diogenem olera lavantem incidisset & dixisset; Si me sequereris, non lavares olera: Diogenes respondit, imò si me sequereris, adulatorem nõ ageres; unde Horatius: *Si pranderet olus patienter, regibus uti Nollet Aristippus.* Sed principib. hinc ob oculos ponatur mens Davidis, quæ extat Psal. 101. *Quandiu enim principes adulatoribus cincti sunt, neque se neque subditorum suorum statũ cognoscere possunt, qua de re videatur Antimachiavellus, lib. 1. de principis consilio, theorem. 2. Georgius Sabinus, poëta facundus, de quodam Duce Norico refert, quòd sæpè mutatã veste inter agricolas rustica opera fecerit, ut de querelis & gravaminibus subditorum ipsi liquidiùs constaret. Elegans Sabini carmen hoc est:*

*Sæpè rudes inter mutatã veste colonos*

*Noricus agricola Dux faciebat opus.*

*Nunc pascebat oves, nunc gramina falce secabat,*

*Vomere proscindens nunc subigebat humum.*

*Et simul illato de se sermone rogabat*

*Plurima, nempe quibus moribus ipse foret?*

*Justus an exigeret pœnas à fontibus ultor?*

*Debita conferret præmia nímne bonis?*

*Quærenti verò causam, cur regibus ortus*

*Princeps agricolam se simularet? ait:*

*Me juvat è rudibus cognoscere vera colonis,*

*Servit adulatrix auribus aula meis.*

Sigismundus Imperator assentatorem se tanquam pestem odisse sæpius dixit, & ipso facto confirmavit. Quum enim aliquando à quodam supra modum laudaretur in faciem, colaphum ei impegit, ac dicenti huic, *Cur me caedis?* respondit, *Cur me mordes?*

7 Comitati in defectu opponitur Austeritas, qua homo nemini, ne in rebus quidem honestis, placere cupit.